

Seneca, *De clementia* II §§ 3-4 (ed. Hermannus Malaspina, De Gruyter 2016)

[3] Ne forte decipiat nos speciosum clementiae nomen aliquando et in contrarium abducat, videamus quid sit clementia qualisque sit et quos fines habeat. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis poenis. Plura proponere tutius est, ne una finitio parum rem comprehendat et, ut ita dicam, formula excidat; itaque dici potest et inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda. Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat, si dixerimus clementiam esse moderationem aliquid ex merita ac debita poena remittentem. Reclamabitur nullam virtutem cuiquam minus debito facere, atqui hoc omnes intellegunt clementiam esse, quae se flectit citra id quod merito constitui posset. [4] Huic contrariam imperiti putant severitatem, sed nulla virtus virtuti contraria est. «Quid ergo opponitur clementiae?» Crudelitas, quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis. «Sed quidam non exigunt poenas, crudeles tamen sunt, tamquam qui ignotos homines et obvios non in compendium, sed occidendi causa occidunt nec interficere contenti saeviunt, ut Busiris ille et Procrustes et piratae, qui captos verberant et in ignem vivos inponunt». Haec crudelitas quidem videtur, sed quia nec ultionem sequitur (non enim laesa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen), extra finitionem nostram cadit: finitio enim continebat in poenis exigendis intemperantiam animi. Possumus dicere non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati saevitia est, possumus insaniam vocare: nam varia sunt genera eius et nullum certius quam quod in caedis hominum et lancements pervenit. Illos ergo crudelis vocabo qui puniendi causam habent, modum non habent, sicut in Phalari, quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum saevisse. Possumus effugere cavillationem et ita finire ut sit crudelitas inclinatio animi ad asperiora. Hanc clementia compellit longius stare a se: nam cum severitate illi convenit. Misericordia etiam vitium animi est; per speciem enim severitatis in crudelitatem incidimus, per speciem clementiae in misericordiam.